

TITULUS XL.

De consecratione ecclesiae, vel altaris.

1. *Ratio ordinis.* — Quoniam census ecclesiasticus, de quo in præcedenti titulo egimus, potissimum imponitur in consecratione ecclesiae, hinc ordine non incongruo præsens titulus præcedentem sequitur.

§ I.

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE, ET COEMETERII, UBI ETIAM DE EXECRATIONE, ET VIOLATIONE, SEU POLLUTIONE : AC DE RECONCILIATIONE UTRUSQUE.

2. *Consecratio ecclesiae, quid?* — Quæritur I. Quid sit consecratio ecclesiae? a quo? quando? et quomodo fieri possit, ac debeat? Resp. I. Consecratio ecclesiae est dicatio, seu dedicatio ejusdem ad cultum divinum speciali ritu facta a legitimo ministro, ad hoc, ut populus christianus opera religionis in earte exercere valeat. Sannig, h. t. cap. 1, n. 2, et in re communis. Patetque definitio ex terminis.

3. *Potest fieri per solum episcopum loci.* — Resp. II. Loquendo de jure, solus episcopus loci rite consecrare potest ecclesiam. Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* Allegat. 27, n. 1, cum communi ac certa aliorum, textu claro can. *Interdicimus*. 10, cau. 16, q. 1, can. *Nemo*. 9, et can. *Nullus*. 15, de *Consecrat.*, dist. 1. Dicitur, rite; quia licet episcopus alterius diocesis ecclesiam valide consecrare valeat, tamen id rite, seu licite non facit, et propterea per integrum annum punitur suspensione ab exercitio pontificalium. Concilium Tridentinum, sess. 6. de *Reform.* cap. v, et sess. 14, cap. II, debetque per eundem annum cessare a celebratione missarum, can. *Episcopus*. 28, cau. 7, q. 1, si absque licentia episcopi loci faciat. Quia quamvis non possit episcopus munus consecrandi ecclesiam committere alicui presbytero, poterit tamen idem committere alteri episcopo c. *Aqua*. 9, h. t. ubi etiam ratio habetur; quia consecrare ecclesiam est potestas ordinis episcopalis, quæ non nisi episcopo committi valet. (ADNOTATIO XXVIII.)

4. *Sub missa: quovis tamen die.* — Resp.

III. Quamvis ecclesia quovis die etiam non festivo rite consecrari valeat, tamen non nisi inter Missam licite consecrari potest. Prima pars patet ex c. 2, h. t. ibi: « Licet ecclesiis dedicationem impendere tam diebus dominicis, quam privatis. » Altera pars habetur can. *Omnes*. 3, de *Consecrat.* dist. 1, ibi: « Omnes basilicæ cum Missa debent semper consecrari » et can. de *Fabrica*. 24, ead. dist. unde peccat episcopus, si absque celebratione Missæ ecclesiam consecret; quamvis consecratio valeat, ut bene docet Miranda in *Manual. prælat.*, q. 39, a. 1, conclus. 3; Barbosa, loc. cit. n. 10, et alii. (ADNOTATIO XXIX.)

5. *Ecclesia non potest consecrari sine sufficienti dote: et quæ hæc?* — Resp. IV. Episcopus licite consecrare ecclesiam non potest, « nisi prius de dote ei provisum fuerit, » uti expresse dicitur c. *Cum sicut*. 8, h. t. quæ dos competens, et sufficiens esse debet pro ecclesiae ministris, luminaribus, aliisque necessariis, can. *Nemo*. 9, de *Consecrat.*, dist. 1, et can. 1, cau. 1, q. 2, ibi: « Hoc unusquisque episcoporum meminerit, ut non prius deducet Ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ et obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. » Ratio subjungitur: « Nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata consecratur Ecclesia. » In cognoscenda tamen sufficientia dotis potest etiam respectus haberi ad decimas, oblationes, et alias obventiones spirituales, ecclesiae ministris de jure competentes, ut bene observat Abbas in cit. c. *Cum sicut*. 8, h. t. n. 5, et sequitur Pirhing, eod. n. 6, ubi etiam post Azorium, p. II, lib. IX, cap. III, q. 7; Sylvestrum ꝑ. *Ecclesia*. 2, q. 2, addit, quod ab initio tanta dos non requiratur, ut sufficiat etiam ad hospitalitatem, et alia onera sustinenda, arg. c. *Cum dilectus*. de *Consuetud.* quia nullo id jure requiritur, tum quia Ecclesiae pauperes ad talia onera non tenentur.

6. *Limitatur hoc in ecclesiis regularium.* — Limitatur tamen conclusio in ecclesiis mendicantium, necnon in ecclesia, quæ ædificatur in monasterio habente sufficientes redditus. Sylvester, loc. cit.; Azorius, loc. cit., ad finem, et doctores in c. 1, de *Censibus*. (ADNOTATIO XXX.)

7. *De ritu consecrandi. Remissive.* — Resp. V. Quomodo autem? quo ritu? qui-

busve cæremoniis consecratio ecclesiae fieri debeat, exacte præscribitur in pontificali, ubi vide. Solum notandum, quod licet episcopi pro consecratione ecclesiae aliquid tantum debitum exigere non possunt, tamen sponte oblatum accipere valeant; nisi patronus ipse paupertate laboret, textu expresso can. 1, cau. 1, q. 2.

8. *Pridie non tenetur episcopus jejunare.* — Porro quamvis Barbosa, loc. cit., n. 1, velit, tam episcopum, quam patronum ecclesiae die ante consecrationem jejunare debere, idque probare conetur ex epistola Leonis papæ ad *Diodor.*, tamen id potius de convenientia, quam de obligatione intelligendum venit; cum in jure talis obligatio non reperitur: unde etiam ipsum pontificale tantum dicit, decens, et conveniens esse.

9. *Fratres minores possunt proprias ecclesias et oratoria benedicere, ac ad cultum divinum deputare.* — Resp. VI. Quamvis, uti dictum, nemo præter episcopum consecrare possit ecclesiam, possunt tamen superiores fratrum minorum, ac alii regulares communicationem privilegiorum cum ipsis habentes proprias ecclesias, et oratoria solemniter benedicere, et ad cultum divinum deputare, sicque facere, ut, donec consecrentur eorum ecclesiae, Missæ, et alia divina in iis celebrentur, idque non vi juris communis, sed ex speciali privilegio summi pontificis Leonis X, utpote qui in Bulla concessit a generalibus, provincialibus, ac custodibus, et guardianis fratrum minorum pro tempore existentibus, ut omnia et singula ejusdem ordinis, et observantiæ ecclesias, coemeteria, capitula, et oratoria ubicumque existentia, tam recepta, quam recipienda, etc. solemniter benedicere valeant; » quod privilegium etiam allegat Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* alleg. 27, n. 44; Sorbus in *Compend. privileg. ꝑ. Benedicere*; Pelliz., tom. II, tract. VIII, cap. v, n. 67; Roderiquez, tom. I, q. 19, a. 2; Miranda in *Manual. prælat.*, tom. II, q. 39, a. 1, conclus. 3, et alii communiter.

10. *Quomodo probetur ecclesiae consecratio. Et quid juris in dubio? Testis unus quando sufficiat? quando non?* — Quæritur II. Quid juris, si ignoratur, et dubitatur, ecclesiam esse consecratam. Resp. « De ecclesiarum consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura nec certi testes existunt, a quibus consecratio sciatur absque ulla dubitatione scitote eas esse consecrandas. Nec talis tre-

pidatio facit iterationem, quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum, » sunt verba, can. *Solemnitates*, 16, de *Consecrat.*, dist. 1. Concordat can. *Ecclesiae*, 18, ead. et tenent omnes. Ratio est, quia consecratio ecclesiae non præsumitur, nisi probetur: probari autem potest vel ex scriptura, in libro, pariete, aut lapide reperta arg. cit. can. *Solemnitates*, et ibi Glossa ꝑ. *Scriptura*, cum communi: vel per cruces, quæ in parietibus fieri solent, dum consecratur ecclesia, Barbosa, loc. cit. n. 5; Mascardus, de *Probation.* concl. 415, n. 4; Azorius, p. II, lib. IX, cap. IV, q. 5; Pirhing, h. t. n. 7, et alii. Vel per testes idoneos, quorum etiam unes sufficit, ut bene observat Glossa, loc. cit. ꝑ. *Nec certi testes*. Barbosa, loc. cit. n. 6; Mascardus, loc. cit. quia, « quamvis alias vox unius, sit vox nullius, » arg. l. *Jurisjurandi*. C. de *Testibus*, et « nulla sit causa, quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur, » c. *Licet universis*. de *Test.* Tamen hæc juris dispositiones non procedunt in casibus, in quibus de nullius agitur præjudicio, prout citati, et alii doctores communiter docent cum Glossa citata arg. c. *Parvulos*. 110, de *Consecrat.* dist. 4, ubi unus testis ad probandum Baptismum esse collatum, in dubio sufficit. (ADNOTATIO XXXI.)

11. *Ecclesia ex tota, vel secundum majorem partem simul destructa, execratur, et indiget nova consecratione.* — Quæritur III. In quibus casibus ecclesiae destructæ, et reedificatæ, ac amplificatæ execrentur, seu consecrationem amittant, ita ut denuo consecrari debeant? Resp. I. Quamvis « Ecclesiis semel consecratis non debeat consecratio iterum impendi, » ut dicitur can. *Ecclesiis*, 20, de *Consecrat.* dist. 1. Nihilominus quando ecclesia vel casu fortuito, vel consulto totaliter, aut saltem majore ex parte etiam quoad parietes destruitur, et denuo de novo simul constituitur, de novo quoque consecrari debet, etsi ex eadem materia, vel iisdem rudibus reedificetur. Barbosa de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 27, n. 13; Abbas in c. *Proposuiti*. 4, h. t. n. 8; Azorius, loc. cit. cap. IV, q. 5; Sylvester ꝑ. *Consecratio*, q. 4; Engel, h. t. n. 2, arg. can. de *Fabrica*. 24, de *Consecrat.* dist. 1, et ibi Glossa ꝑ. *Instauranda*. Ratio est, quia in tali casu nec moraliter, nec physice censetur eadem ecclesia.

12. *Non item, si successive, vel secundum*

minorem partem. — Dicitur autem notanter, « si simul et semel de novo construitur, aut reparatur, » quia si ecclesia successive per partes deficiens, per partes statim iterum reficitur, ac reparatur, non est opus nova consecratione, etiamsi tota ecclesia successive per partes ita destruat, et reparatur, ut nulla pars de primo edificio supersit. Barbosa, loc. cit. n. 19; Engel, loc. cit.; Azorius, loc. cit. q. 4; Sylvester, loc. cit. Hostiens. et Innocentius *ad Rubric.* h. t. contra Abbatem loc. cit. qui cum nonnullis aliis docet verius esse contrarium. Ratio autem nostrae doctrinae est; quia in tali casu censetur moraliter adhuc eadem ecclesia, arg. l. *Quod in rerum.* 24. § fin. ff. *de Legat.* 1, ubi navis per partes refecta, eadem censetur; quod idem habetur l. *Proponebatur,* 76, ff. *de Judiciis,* ubi etiam plura ad propositum exempla proponuntur, ut de populo, de legione militum, de corpore humano, quae semper censentur eadem manere, etiamsi prioribus hominibus mortuis, alii subnascantur, militibus deficientibus novi substituantur, partibus corporis deperditis aliae succrescant. Accedit et alia ratio, videlicet, quia juxta vulgaria « magis dignum trahit ad se minus dignum: » et « major pars minorem, » arg. c. *Quod in dubiis.* 3, h. t. et c. un. h. t. in 6. Sufficit itaque in tali casu, si nova pars aspergatur aqua benedicta. Barbosa, loc. cit. arg. cit. can. *de Fabrica.* 24. *de Consecrat.* dist. 1. Idem dicendum, si non tota ecclesia, nec major, sed aliqua tantum pars ejusdem, v. g. tectum corruat, parietibus adhuc illæsis, textu claro, c. *Ligneis.* 6, h. t. et ibi Glossa *¶. Parietibus.* Barbosa, n. 2. Abbas, n. 1, et doctores communiter. Ratio est tum citata, num. præced. tum quia in parietibus ubi sunt cruces, et iunctiones, fit consecratio; ergo illis salvis salva manet consecratio.

13. *Quid si igne execratur?* — Quod si tamen ecclesia igne foret exusta, ita ut parietes interiores ex toto, vel ex majori parte sint devastatae, vel abrasae, etsi non corruant, indiget nova consecratione can. *Ecclesiae.* 20. *de Consecrat.* dist. 1, ibi: « Nisi ab igne exustae, » Glossa in c. *Ecclesiae* 18, ibid. *¶. Altaria;* Abbas in c. *Proposuiti.* 4, h. t. n. 7; Azorius, loc. cit. q. 5, et alii. Ratio est, quae in num. præced.

14. *Ecclesia amplificata quando indigeat consecratione. Mixtione quomodo non sacra fiant sacra?* — Resp. II. Quando ecclesia in lon-

gitudine, latitudine, vel altitudine amplificatur, ita tamen, ut nova pars addita si minor veteri remanente, non opus est nova consecratione, sed tantum ut pars nova aspergatur aqua benedicta, Glossa marg. in c. *de Fabrica.* 24. *de Consecrat.* dist. 1; Azorius, p. II, lib. IX, cap. iv, q. 6. ad finem; Engel, h. t. n. 2, et alii, arg. cit. can. *de Fabrica.* Ratio est, quae n. 12. Si tamen pars nova major esset veteri remanente, utique de novo consecrari deberet ecclesia, uti loc. cit. bene docet Azorius, et Barbosa, allegat. 27, n. 19; quia minor pars non trahit ad se majorem, c. un. h. t. in 6, sed e contra. Sicut in simili, licet, si oleo sacro, vel aqua benedicta effundatur oleum, vel aqua non benedicta in minori quantitate, quam sit quantitas sacra, commixtione efficiatur sacrum, ita ut non indigeat nova benedictione, vel consecratione, arg. c. 3, h. t. ob rationem dictam: secus tamen res se habet, si quantitati consecratae, vel benedictae minori effunditur quantitas non benedicta major, ut cum communi ac probabiliori contra Angelum *¶. Aqua.* tenet Barbosa in cit. c. 3, h. t. n. 6; Sylvester *¶. Aqua.* q. 3; Pirhing, h. t. n. 9, et alii. Alias enim sequeretur, quod unica gutta benedicta infusa fluo, hunc totum benedictum efficeret, indeque semper haberi posset aqua benedicta, quod est absurdum.

15. *Ecclesia polluitur injuriosa sanguinis effusione.* — Quæritur IV. An, et in quibus casibus polluat, seu violetur ecclesia, ita ut reconciliatione indigeat? Ante responsionem notandum, quod quamvis a parte rei ac physice loquendo sacra a profanis et turpibus coinquinari non possint, arg. c. *Vestra.* 7. *de Cohabitat. cleric. et mulier.* Nihilominus juxta ecclesiae sanctiones moraliter violari, et pollui censetur, quando in ea certæ quædam, turpes, aut indecentes, sacroque loco injuriosæ fiunt actiones, ob quas communi aestimatione indignum, et indecens reputatur, quod in tali loco sceleribus aut indecentibus contaminato hostia immaculata offeratur, et alia divina celebrentur, donec reconcilietur, et quodammodo expurgetur. H. N.

Resp. Plures esse actiones, et modos, quibus violatur et polluitur ecclesia, ita ut reconciliatione (quæ distinguitur a prima Consecratione) indigeat. Patet inductione I. enim polluitur per voluntariam, injuriosam, et graviter peccaminosam sanguinis effusionem in ecclesia causatam; qualis v. g.

contingere solet ex vulnere injuriose illato, communis ac certa, arg. c. *Proposuiti.* 4, h. t. ibi: « Aliquando vulnera inferuntur, » et c. fin. h. t. ibi: « Sanguinis effusione polluta. » juncto c. un. h. t. in 6, et can. *Ecclesius. de Consecrat.* dist. 1. Dicitur autem « per voluntariam; » quia, si casu id fieret, aut ab amente, ecclesia non pollueretur, Glossa, in c. un. h. t. in 6, *¶. Sanguinis.* Dein dicitur « injuriosam, » quia si voluntarie quidem, sed licite, v. g. ob justam sui defensionem, servato moderamine inculpatae tutelæ, consequenter quæ non injuriose fit, ecclesia non polluitur.

16. *Si fiat per actionem graviter peccaminosam in ipsa ecclesia.* — Dicitur ulterius, « graviter peccaminosam; » quia si exactione leviter tantum peccaminosa fiat sanguinis effusio, prout fit, si pueri invicem in ecclesia se percutiunt, vel si pater, magister causa correctionis modum leviter excedendo percutit, ut sanguis copiose e naribus fluat, vel per aliam actionem graviter non peccaminosam, etiam a majoribus factam causetur copiosa sanguinis effusio, ecclesia non violatur. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 18, n. 36, citans Suarez, disp. 81, sect. 4, § 2, in fine, et alii, eo quod gravis injuria ecclesiae per hoc inferri, communiter non aestimetur. Imo Diana, part. VI, tract. VI, resolut. 24, quem sequitur; Pirhing, h. t. n. 11, universaliter vult, quod effusio sanguinis e naribus pugno vel alapa causata nunquam violet ecclesiam; quia nares sunt organum, unde sanguis nimis facile emittitur. Verum contrarium resolvit, et judicatum refert Marc. Anton. *Variar. resolut.* lib. I, resolut. 112, casu 6; Barbosa, loc. cit. n. 36, et alii, in casu, quo majores quatuordecim annis graviter percutientes, sanguinis effusionem e naribus causant; quia hujusmodi percussio v. g. per alapam publice in ecclesia alteri inflictam, ordinarie censetur graviter injuriosa, et peccaminosa.

17. *Et sanguinis copiose fluat.* — Porro, ut sanguinis effusio violet ecclesiam, debet esse copiosa; unde etsi percussio sit gravissima, non polluitur ecclesia, si non multum, sed tantum aliquæ guttæ sanguinis fluunt. Multo minus, si nullus fluit sanguis, licet cæteroquin summa cum injuria multis quis verberibus excipiat in ecclesia. Barbosa, loc. cit. n. 35; Engel, h. t. n. 29; Navarrus in *Manual.*, cap. xxvii, n. 256. *¶. Effunditur;* Suarez, loc. cit. Ratio est, quia jura supra,

n. 15, citata requirunt « sanguinis effusionem » (qui terminus copiam denotat. Abbas in c. 4, h. t. n. 3.) quæ utpote pœnalia, et odiosa extendi non debent, c. *Odia. de Reg. jur.* in 6.

18. Requiritur insuper, ut effusio sanguinis copiosi causetur in ipsa ecclesia; unde non violatur ecclesia, si quis extra illam, vel in porticu, turri, aut subtus in spelunca ecclesiae percussus fugiat ad ecclesiam, ibique sanguinem copiose effundat: bene tamen e contra, si percussus in ecclesia extra illam primum fundat sanguinem copiosum. Navarrus, loc. cit. *¶. Aut datur causa;* Sylvester, *¶. Consecratio*, 2, q. 5; Azorius, p. II, lib. IX, cap. v, q. 2, cum Glossa communiter recepta in c. 1, h. t. in 6, v. *Sanguinis.* Ratio est, qui juxta jura n. 15, citata, requiritur, et sufficit, ut causa effusionis sanguinis graviter injuriosa ponatur in ecclesia; ubicunque dein effusio per accidens sequatur.

19. *Ecclesia polluitur insuper per homicidium in ea commissum. Et per quale?* — II. Violatur, seu polluitur ecclesia per voluntarium et injuriosum homicidium, quod quis respectu sui ipsius, vel alterius committit; etiamsi sanguis non effundatur. Rursus communis ac certa, textu claro can. *Si motum.* 19. *de Consecrat.* dist. 1, ibi: « Si homicidio ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur, et denuo consecratur, » et c. 4, h. t. ibi: « Homicidia contingunt, » et ibi doctores communiter. Dicitur « voluntarium et injuriosum, » quia ob casuale homicidium, vel factum ob sui defensionem justam, cum moderamine inculpatae tutelæ non violatur ecclesia. Barbosa, loc. cit. a. n. 3; Abbas, loc. cit. n. 1, et doctores communiter. Hinc non violatur ecclesia ob homicidium patratum a furioso, vel a penitus ebrio; Barbosa, loc. cit. n. 3 et 4, quia in his deficit voluntarium, hoc ipso, quod nesciant, quid faciant, can. *Illud.* cau. 15, q. 1. Polluitur autem per mortem reo illatam in ecclesia ex sententia judicis. Barbosa, loc. cit., n. 25; Pirhing, h. t. n. 10, et alii. Ratio est, quia quamvis tale homicidium non sit injuriosum reo mortem merito, est tamen injuriosum ipsi loco sacro, et contra reverentiam debitam eidem, c. 2. *de Immunitat.* in 6. Polluitur item, si quis in ecclesia occidatur ob fidem; Barbosa, loc. cit. n. 29; Sylvester, *¶. Consecratio*, 2, q. 5; Azorius, loc. cit. q. 1, cum communi contra Abbatem, loc. cit. n. 2.